

sum consilium: quale autem consilium, nisi tenacissimum, impedibile, stabile, & tandem quale pronuncietur ab ipso Deo dicente, Isaia 46. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet?*

I. I. I.
Conceditur omnia evenire secundum propositum voluntatis Divinae, sed ex illo praesens non pendet certitudo eventuum.

Respondeo & omnino admitto quod Apostolus docet, nempe Deum opus nostrae praedestinationis, & opera caetera nostra omnia operari secundum propositum voluntatis suae. Sed nego hinc sequi quod certitudo praesentiae operum nostrorum, hoc est, contingentium, oriatur ex tali proposito praesens accepto. Quia tale propositum non est per se effectivum, sed tantummodo provocativum, & capropter expectativum nostri consensus, qui cum non sit actus, nisi voluntatis, non potest nisi à voluntate effici; ac proinde tam incognitus, quam incertus est, donec effectus sit, seu videatur effectus; effectus autem videri non potest in proposito, quod non est ipsius effectivum, sed in voluntate, quae est ipsius effectiva. Ratio verò propter quam tale propositum Divinum non est consensus nostri effectivum, adducta paulò antè fuit, ubi dictum est & probatum decreta Divina non determinare voluntatem, sed quocunque pacto illam praeveniunt, relinquere illam ipsam à se ipsa pro libitu determinandam.

I. I. I. I.
Tum voluntas non semper se determinat juxta propositum voluntatis Divinae.

Et haec quidem sapissimè se ipsam determinat, non juxta, sed contra propositum voluntatis Divinae, cui si nostra semper cohaereret, nunquam peccaret; quia non peccatur, nisi quando itur contra illud propositum. Igitur loquendo in sensu generali, non semper impletur illud propositum Dei: aut si utique impletur semper in sensu quodam alio particulari consideratum, id obtinet non ex vi sua, sed ex vi praesentiae, quae ipsum dirigit, & cujus proinde certitudo non ex ipso, sed aliunde quaerenda est. Quare hinc nihil in gratiam Adversariorum convincitur. Nihil quoque in gratiam illorum convincitur ex notione universalis, quam afferunt, & juxta quam voluntas Dei sic causa est eventuum omnium, ut Deo nolente nihil eveniat. Nihil, inquam, convincitur.

I. I. V.
Attendi debet hic alii eventus, qui non pendet à causis liberis.

Tum quia notio illa principaliter refertur ad eventus, quos Deus per se solum complet, vel per se & per causas necessarias ad illos complendos adhibitas, ut patet ex factis particularibus à Sancto Augustino inter enarrandam illam notionem propositis, veluti ex facto Enoch, quem per se transtulit Deus quò voluit, & ex facto carnis humanae in corpus caeleste mutabilis, quam sic mutabit Deus, si voluerit, si noluerit, non mutabit. Tum etiam